

CAPUT V

*Causas, materiam fluentem viasque  
considerat.*

**I**N enumerandis causis affectus hujus δυσδιάγνωστον quid latet. Non unanimes deprehenduntur autorum sententia; sed variè de iis inter eos disceptatur & pugnatur, summusque exindè videtur profilire labor ad earundem enucleationem.

Difficultatem hanc dum intuemur, placet in scenam producere verba, quibus in alio negotio utitur *Aretæus lib. 2. de turtur. cap. 12.* desperabundus quasi: αἰτίην ἀτρέκεία μὲν ἴσασιν μῆνοι θεοί· ἐσκεῖαν δὲ καὶ ἄνθρωποι, *veram causam soli Dii noverunt; probabilem verò homines.*

IMMEDIATA videtur esse ἡ τῆς συνεχείας λύσις, *continui solutio*, nomine quidem barbaro, sed tamen, quo commodius dari non poterat, indigitata. Διάσσις τῶν συμφύτων μερῶν *con-natarum partium divisio* appellatur à Philosopho 6. *topic. cap. 8.*

SUBITA est hæc solutio, quæ ἀθρόως incidit & βιαίως. Vox ἀθρόως includit τὴν ταχύτητα καὶ τὸ μέγεθος.

PERFECTA non est eadem, & consummata, sed INCIPIENS, & dum in sensiles membranofas partes articulorum pedis agit, eas vel εὐδήλως, vel ἀδήλως ab invicem disternat.

MEDIATA PROXIMIOR est ῥεῦμα. Duplex est hoc συνιστάμενον καὶ ὀρμώμενον. Ἐὰν μηδέποτε χυμὸς περιττὸς ὑπὲρ ἄρτην, ὡς εἰδὲν δὲ πάλαι εἶναι ποτέ, nisi fluxus humoris accedat, neque unquam talis futurus est morbus. Quemadmodum enim fluviorum inundationes fiunt continuis imbribus depluentibus, in diluvium quoddam concurrantibus & alveum exeuntibus, sic humores ex arteriis exiliunt, & in membranis colliguntur, quemadmodum concinnè dicit *Magnif. D. D. Præses in epitome citat. a.*

FLUENS materia est sanguis quicumque, imprimis biliosus, ichorosus, serofus, falsus, acris, ὀργασμώδης: pituitosus & melancholicus sanguis nimis tardæ sunt molitionis ad subitanam hanc fluxionem concitandam. Serofus & acris cum peccet fan-

fan-